

154. Conc. Tridentinum cit. loco ponit impedimentum distinctum. Raptus hujusmodi, qui est veluti *furtum mulieris*, juxta Tridentinam legem dirimit matrimonium, quoadusque mulier sit sub potestate raptoris adhuc posita; etsi libere consentiat in matrimonium, tamen matrimonium nullum est. Si vero evaserit a potestate raptoris, et constituatur in loco tuto, in quo nempe non subjiciatur imperio raptoris ipsius, sed libera prorsus sit et domina actuum suorum poterit matrimonium celebrare. Tridentinum scilicet non respexit directe ad libertatem consensus, sed potius ad libertatem loci et personæ mulieris raptæ. Præsumit enim Concilium, mulierem sub potestate raptoris liberam non esse, sed esse sub influxu metus; hæc autem est præsumptio juris et de jure, quæ directe contrariam probationem non patitur. Perseverat ergo metus quoadusque mulier non evaserit e manu viri, et nisi hoc accidat, non potest inter utrumque consistere matrimonium validum.

Igitur raptus constituit impedimentum distinctum ab impedimento metus, quia in impedimento metus requiritur ut metus perseverat actu in ipsa celebratione matrimonii.

155. At quid est raptus?

*'Raptus definitur violenta mulieris abductio de loco in locum, matrimonii ineundi causa.'*

Dicitur *violenta abductio*, quia debet intervenire aliqua violentia, sive ea physica sit, prout est apprehensio personæ ejusque translatio ad alium locum, sive ea moralis sit, idest per gravem metum incussum. In utroque enim casu verificatur abductio contra voluntatem mulieris.

Dicitur *mulieris sine ullo addito*, quia ad constituendum impedimentum raptus sufficit, ut sit quælibet femina sive virgo, sive corrupta, sive honesta, sive non. Dicitur *de loco in locum*, quia raptus non est nisi mutatio loci contingat. Mutatur vero locus ut mulier sub potestate raptoris constituatur.

156. Dicitur *matrimonii ineundi causa*, quia jura considerant crimen raptus in ordine ad matrimonium ut consulant ejus libertati, et in odiosis et correctoriis antiqui juris extensio ad casus similes admittenda non est. Insuper raptus constituit impedimentum dirimens, quia leges præsumptione juris et de jure præsumunt metum. Igitur quemadmodum metus ut constituat impedimentum dirimens debet esse incussum in ordine ad matrimonium contrahendum, ita etiam in hunc finem debet esse directus raptus mu-

lieris. Hinc si mulier raperetur ob alium finem etiam turpem, et mulier deinde consentiret in matrimonium, validum esset matrimonium hujusmodi quia abducta non fuit mulier causa contrahendi matrimonium. Atque ita resolutum fuisse a S. Congr. Concilii die 23. Jan. 1585 refert Galemart. Cf. Giraldi *'Expos. Juris Pontif., ad cap. 7. De Raptoribus.*

157. Ut melius explicetur indoles impedimenti raptus, sciendum est præter raptum violentiæ, in quo mulier invita de loco in locum traducitur, ut sub potestate raptoris posita contrahat matrimonium, dari etiam raptum *seductionis*. Quæritur inde utrum raptus seductionis constituat impedimentum dirimens?

158. Profecto non loquimur de casu, quo vir dolo et blanditiis inducat mulierem ut de loco in locum transeat, eo tamen scopo ut illam sub sua potestate etiam invitam constituat ad matrimonium contrahendum. Cum hoc in casu verificetur mulieris abductio de loco ad locum, et violentia relate ad locum novæ commorationis mulieris ejusdem, patet verificari elementa substantialia impedimenti raptus.

159. At quid dicendum si solummodo seductio intervenerit?

Duplex casus dari potest. Primus casus esset, si vir et mulier communi consensu fugam capiant et alio se transferant ad contrahendum matrimonium, quod in loco ubi mulier commorabatur, contrahere non potuissent ob resistentiam rationabilem parentum, vel custodum, curatorum, vel tutorum.

160. Secundus casus esset si mulier, cum prius fuisset invita et nolisset de loco ad locum transire, tamen blanditiis et circumventionem viri aliquando de nolente facta sit volens, et fugam cum viro arripiat, ad scopum alibi contrahendi matrimonii, contra voluntatem parentum vel aliorum, sub quorum potestate est.

Cum in utroque casu abductio mulieris de loco in locum habeatur, cumque seductio libertati opponatur, quæritur utrum debeat in hoc raptu agnosci impedimentum dirimens de quo disponit Tridentinum, in *c. 6. Sessionis 24.*

161. Nonnulli Doctores affirmativam sententiam profitentur, alii vero contrariam sequuntur.

Nobis videtur probabilior sententia negans. Et sane relate ad primum casum, animadvertimus injuriam illatam non fuisse mulieri; quia ipsa eadem fugam cogitavit, sed solummodo parentibus vel tutoribus, curatoribus aut custodibus ejus rationabiliter



invitis. Primus ergo casus reducitur ad casum matrimonii contracti contra prudens justumque iudicium parentum. Jam vero juxta dispositionem c. 1. sess. 22. *de Reform.*, rationabilis dissensus parentum, constituit quidem impedimentum impediens, non autem dirimens matrimonium.

162. Quoad vero utrumque casum, animadvertimus, ab ipso Innoc. III. in *cap. 7. De Rapt.* fuisse distinctum *crimen raptus ab impedimento raptus*, si quidem quamvis raptus fuerit consummatus, invita puella, et perseverat crimen raptus, tamen si puella libere consentiat, ait Innocentius matrimonium valere.

Concilium Tridentinum adiecit aliam conditionem nempe ut puella esset in loco tuto a potestate raptoris. Igitur ut verificetur impedimentum raptus, juxta jus antiquum præter violentiam requirebatur adversa voluntas puellæ adhuc perseverans, juxta jus novum Tridentinum requiritur insuper ut excludatur libertas loci, quia quoadusque puella maneat sub potestate raptoris, præsumitur esse sub influxu metus. Quare ad constituendum impedimentum raptus, requiritur metus vel verus vel saltem præsumptus, idest violentia. Atqui in utroque casu superius posito, neque tempore fugæ, neque tempore contracti matrimonii, dici nequit metum existisse vel adversam fuisse voluntatem puellæ, sed supponitur mulierem libere consensisse in fugam et inde libere commorantem cum viro contraxisse matrimonium. Ergo in utroque casu desunt elementa impedimenti raptus.

Esto quod vir illegitime egerit, et admiserit crimen raptus, qui puellam secum abduxit modo certe illegitimo et pudori et honestati mulieris adverso, tamen matrimonium ejus cum puella irritum non erit, siquidem alia est ratio criminis raptus, est alia ratio impedimenti raptus.

163. Auctores adversæ sententiæ præsertim innituntur *Leg. un. Cod. de Raptore virginum*, in quo statuit Imperator, nullum esse matrimonium contractum a puella, quæ consensit in fugam invitis parentibus. Certe in hac hypothese vis et injuria infertur parentibus, et per consequens raptus contra parentes perpetratur. Scilicet procul dubio crimen raptus verificatur. At revera impedimentum raptus admitti nequit. Etenim in hac re jus civile correctum fuit a jure canonico, quod in matrimoniis voluit consuleri præcipue libertati consensus inter ipsos contrahentes. Nec mirum est si jus civile in conjugio tantopere detulerit auctoritati

parentum, nam filia sub patria potestate constituta, quasi res patris habetur et proinde in raptu constituendo magis considerabatur injuria patri illata, quam injuria illata ipsi filiæ.

164. Juri huic Romanorum ante ejus correctionem ab Innocentio III. factam, et ampliata a Tridentino, adhæserat Gratianus in can. 11. *Placuit. caus. 36. q. 2.*, et alii auctores plus æquo tribuentes potestati patriæ.

Inter istos auctores adnumerandus est S. Thomas in 2. 2. q. 154. art. 7. ubi tradit: 'Violentia quandoque infertur tum ipsi virgini, et quandoque infertur patri, puta cum ipsa consentit, qualitercunque violentia adsit, salvatur ratio raptus'.

Divus Thomas respexit ad jus ante correctionem illudque secutus est.

165. Nec mirum est si una vel altera Decisio S. Congr. Concilii, quæ contraria sententiæ nostræ videtur afferatur a Riganti com. in *Reg. cancellariæ*, nam una vel altera decisio S. Congregationis in casibus peculiaribus facta, regulam generalem non facit, absolute servandam. Ordinarie enim S. Congregatio non decernit punctum quæstionis in abstracto, sed solummodo considerat quæstiones in ordine ad factum sibi propositum. Hinc resolutiones quæ contrariæ videntur inter se dantur aliquando, quin tamen revera una ab alia discrepet.

In casu autem nostro a Giraldi in comm. ad c. 7 *'de Raptoribus'* refertur resolutio ejusdem Sac. Congreg. sub die 3. Mart. 1714 in qua responsum est raptori non obstare raptum ad contrahendum matrimonium, si constet raptum fuisse factum nedum consentiente, sed etiam sollicitante ipsa puella.

Igitur licet verificetur crimen raptus, impedimentum tamen ex titulo raptus non verificatur, quoties puella passa non fuerit violentiam, sed volens rapta fuerit.

166. Quæritur utrum raptus viri possit esse impedimentum dirimens matrimonium.

In diversas sententias scinduntur Doctores.

Nonnulli sequuntur sententiam affirmativam, dicentes nomina maris et fœminæ in matrimonio esse correlativa, ac proinde juris dispositionem in cap. 6. sess. 24. *De Ref. matrim.* in Tridentino positam, viro etiam applicandam esse.

Accedit etiam principium: *Ubi eadem est ratio; ibi etiam et eadem esse debet juris dispositio.* Jam vero etiam vir et præ-



sertim adolescens, rapi violenter potest et constitui sub potestate mulieris ad contrahendum matrimonium. Ergo quia etiam relate ad virum verificari potest eadem injuria, idem crimen et metus vel verus vel præsumptus, dicendum est etiam relate ad virum raptum posse esse impedimentum dirimens matrimonium.

167. Alii e contra docent, juxta dispos. Trident. in cap. 6. sess. 24. *De Ref. matrim.* raptum viri non esse impedimentum dirimens matrimonium.

Nos cum istis sentimus. Dicimus ergo raptum viri non esse impedimentum dirimens ex cit. cap. 6. sess. 24. Nam si consideretur raptus juxta antiquam canonum dispositionem, quando impedimentum raptus confundebatur cum impedimento vis et metus, idest si vir raptus sit revera sub influxu vis et metus, profecto consistere non poterit matrimonium inter raptum virum et mulierem, quæ raptum fecit. Consideremus ergo raptum prout est impedimentum distinctum ab illo vis et metus.

Jam vero in cit. cap. 6. Tridentini sermo est expresse de muliere, statuitque concilium, inter raptorem et raptam matrimonium consistere non posse, quoadusque rapta mulier fuerit sub potestate raptoris. Accedit scopus Patrum Tridentinorum, qui hoc impedimentum constituerunt ceu pœnam ad impediendos frequentes casus raptus mulierum, qui contingere solebant. Jam vero infrequens prorsus est casus raptus viri. Ergo hic non incidit sub dispositione Tridentina.

Accedit, dispositionem Tridentinam esse pœnalem idest odiosam. Atqui in odiosis rigida adhibenda est interpretatio.

168. Neque dicant nomina maris et fœminæ in matrimoniis esse correlativa; nam Tridentinum sermonem suum coarctat ad mulierem raptam, et ob sexus infirmitatem vult aliquid distinctum disponere ad tutandam libertatem mulieris.

Neque valet secunda ratio adversariorum '*Ubi eadem ratio, ibi eadem esse debet legis dispositio*'; nam valeret ad summum, quando hoc impedimentum inductum fuisset dumtaxat ad libertatem tuendam in conjugali contractu. Sed impedimentum hoc inductum fuit ob frequentiam criminis raptus mulierum. Quæ ratio cum non verificetur relate ad viros dicendum est relate ad viros non verificari eandem juris dispositionem. Quare licet in raptu viri agnoscendum sit crimen raptus, quia vir modo illegitimo abripitur,

tamen matrimonium si libere et absque vera vi vel metu incusso contrahatur a viro ipso, plene sustinetur.

#### 4<sup>o</sup>. De impedimento cultus disparitatis.

169. Disparitas cultu dicuntur personæ, quæ non in eadem sed in diversa religione versantur. Hinc disparitas cultus duplex est 1<sup>a</sup>. inter baptizatam personam et infidelem, seu non baptizatam; 2<sup>a</sup>. inter catholicam et acatholicam personam.

Rursus disparitas hæc cultus vel est antecedens vel subsequens matrimonium. Antecedens est quando contrahitur matrimonium existente ipsa disparitate cultus. Subsequens est quando post contractum matrimonium, vel una pars fidem abjiciat et fiat infidelis, vel incredula, aut una pars ex Religione catholica transeat ad castra hæreticorum vel schismaticorum.

Disparitas cultus antecedens inter personam fidelem et infidelem, idest baptizatam et aliam non baptizatam, constituit impedimentum dirimens matrimonium.

170. Altera disparitas cultus antecedens est solummodo impediens impedimentum.

De cultus disparitate primæ speciei agitur in canonibus XV. et XVII. caus. 28. q. 1. De secunda autem specie cultus disparitatis agitur in can. XVI. ejusdem causæ et ejusdem quæstionis.

171. Quæritur quo jure sit inductum impedimentum dirimens ex cultus disparitate.

Hanc quæstionem fuse pertractat Bened. XIV. in constitut. *Singulari Nobis*, data die 9. Febr. 1749. Affert Summus Pontifex sententiam Soti, qui in variis locis sacræ scripturæ V. T. agnoscit jus divinum dirimens matrimonium ob cultus disparitatem. Sic ex. gr. textus in cap. 7. Deuter. et alias lib. I<sup>o</sup>. Esdræ c. 10. Verum adnotat Pontifex in hisce locis non esse sermonem de impedimento dirimente, sed solummodo impediens. Nam cap. 1. lib. III. Regum supponitur validum conjugium Salomonis cum alienigena. Quod si autem fuerit impedimentum dirimens, illud certe non fuit generale, et quoad omnes nationes gentium sed solum relate ad quasdam, idest relate ad Hebræos, Cananæos etc. de quibus in cap. 7. Deuteronomii. Igitur per se disparitas cultus non erat impedimentum dirimens.

172. Insuper quidquid sit de hoc impedimento non valet ratio a Veteri ad Novum Testamentum. Nam conditio politico-religiosa reipublicæ Judaicæ exigebat ut populus non confunderetur cum



aliis nationibus. Hinc licet disparitas cultus fuisset jure divino impedimentum dirimens in V. T. non sequeretur et esse in N. T.

173. Sed dici posset Paulum interdixisse fidelibus ne jugum ducerent cum infidelibus II<sup>a</sup>. Cor. cap. VI. At Ecclesiastica traditio hanc inhibitionem Pauli accepit de impedimento impediendo ob periculum perversionis. Hinc remoto periculo ob justas rationes permissum fuit, primis Ecclesiae temporibus, conjugium fidelium cum infidelibus et piissimae mulieres absque criminis nota, contraxerunt matrimonium cum infidelibus, quos ad Christi fidem converterunt.

174. Canones autem citati, primus quidem habet auctorem S. Ambrosium, secundus vero ex concilio particulari Urbanensi desumptus est. Insuper uterque potest explicari de simplici prohibitione matrimonii.

175. Cum igitur nulla lege generali sub poena nullitatis prohibitum fuisse reperiatur matrimonium christianorum cum infidelibus, dicendum est ab initio non obtinuisse in Ecclesia impedimentum dirimens cultus disparitatis et hujusmodi impedimentum introductum fuisse paulatim ex usu et consuetudine Ecclesiae. Scilicet fideles et pastores videntes periculum et incommoda ex conjugio fidelium cum infidelibus derivare, horrorem concipere coeperunt adversus connubia cum infidelibus, et uti nulla traducere coeperunt. Haec opinio et praxis propagatae sunt, et in moribus populi christiani receptae fuere. Quare hoc impedimentum dirimens ex cultus disparitate procedens, est solummodo impedimentum juris Ecclesiastici consuetudinarii.

176. Quo posito quaeri potest, utrum impedimentum hujusmodi robur suum habeat inter illos, qui ad fidem convertuntur in regionibus, ubi christiana fides nunc primum praedicatur.

Quaestio haec agitata est cum primum Sinenses et Japonenses inceperunt converti ex Ethnicismo ad fidem Christi. Et quidem videbatur, hoc impedimentum non vigere in regionibus in quibus fides christiana incipit praedicari. Nam cum impedimentum cultus disparitatis suam virtutem repetat non ab ipso jure Ecclesiastico scripto quod generale est et omnes Christi fideles ligat, sed a consuetudine, dicendum esse videbatur hoc impedimentum non valere ubi consuetudo introducta nondum fuerat.

177. Quod argumentum a fortiori valebat pro sectis separatis, quarum asseclae forsitan inter Japonenses vel Sinenses commorantes

matrimonium inierant cum infidelibus. Nam non omnes consuetudines Ecclesiae Catholicae communes sunt sectis ab ea separatis.

178. Verum dictum est a Bened. XIV. in cit. constit. impedimentum cultus disparitatis omnes Christianos urgere etiam acatholicos, licet commorentur ii in regionibus Ethnicorum. Nam impedimentum hujusmodi non procedit ex consuetudine aliqua particulari, sed procedit ex consuetudine universali, quae universam complectitur societatem Christianam. Scilicet consuetudo hujusmodi induit naturam legis universalis, quae omnes homines ligat, eo ipso quod per baptismum inter Christi fideles adscribantur.

179. Quare consuetudo hujusmodi constituit jus commune Christianorum, in quo proinde dispensare potest solummodo auctoritas suprema in Ecclesia.

Et revera refert Benedictus XIV. in cit. constit. Gregorium XIII. concessisse Missionariis Japoniae facultatem dispensandi cum novis Christi fidelibus in isto impedimento, et etiam nunc vicariis Apostolicis S. Congregatio de Propaganda fide tribuit eandem facultatem dispensandi in eodem impedimento disparitatis cultus.

#### De matrimoniis mixtis.

180. Cultus disparitas inter personam catholicam et personam acatholicam non dirimit matrimonium. Nec objici potest can. 15. caus. 28. q. 1. in quo matrimonium cum haeretica persona contractum comparatur matrimonio contracto cum infideli. Nam quidquid sit de antiqua juris dispositione, praesertim in aliqua regione, nunc certum est saltem ex generali contraria consuetudine, non amplius irritum censeretur matrimonium catholicos inter et acatholicos contractum, servata tamen forma substantiali ab Ecclesia statuta ubi promulgatum est Tridentinum concilium. Verum matrimonia hujusmodi in genere Ecclesia semper detestata est. Nam ut in sententia magnae notae auctorum docet Card. Petra in tom. IV. comm. ad Const. *'Cum nonnulli'* 12<sup>a</sup>. Joannis XXII. n. 12, experientia compertum est ex hujusmodi matrimonio tot ac tanta sequi spiritualia incommoda tum ipsi conjugii catholico, tum liberis ac christianae reipublicae, ut plerunque charitatis legi adversetur omnino.

Huc afferri possunt can. 16. caus. 28. q. 1. necnon canones plurimorum antiquorum conciliorum et praesertim can. 14. concilii Chalcedonensis.



181. Igitur cultus disparitas inter personam catholicam et acatholicam habetur ceu impedimentum impediens matrimonium ex jure communi procedens. Quare *matrimonia mixta* solummodo fieri possunt licita ex dispensatione Pontificis, qui conditionibus impositis removet damna et pericula, quæ ordinarie loquendo, comitantur hæc mixta matrimonia.

182. Si quæeratur quænam conditiones requirantur ab Ecclesia ut admittantur mixta matrimonia, respondemus, antiquitus requisitam fuisse promissionem conjugis hæretici amplectendi fidem catholicam. Ita Conc. Nicænum can. 53. et Concilium Chalcedonense can. 12.

Aucto autem periculo perversionis catholicorum, inductum fuit ut matrimonium non permitteretur, nisi pars hæretica hæresi renunciasset. Cf. Cardinalis Petro in cit. Comm. nn. 14. seqq.

183. At ob varias temporum et locorum exigentias, factum est ut S. Sedes per organum Sacræ Congregationis supræ Inquisitionis, vel ipsa eadem concederet dispensationes, vel indulta tribueret Episcopis ad dispensandum in matrimoniis mixtis. Attamen nonnullas conditiones sub fide juramenti exegit.

1º. Ut absit periculum perversionis conjugis catholici. Hinc pars acatholica promittere debet, se non esse prohibeturam ullo modo conjugii catholico, quominus religionis suæ officia plena libertate adimpleat.

2º. Ut filii omnes sive masculi sive fœminæ, ex matrimonio nascituri educentur in catholica religione. Hinc reprobaturum pactum licet solummodo tacitum inter conjuges, educandi masculos in religione patris, fœminas vero in religiosa professione matris. Pars enim catholica vi hujus pacti positive promovet propagationem hæresis, et filios suos exponit periculo damnationis æternæ.

3º. Tertia conditio est ut conjux catholicus juxta principia charitatis christianæ spondeat se curaturum pro sua parte et viribus, ut pars hæretica vel schismatica catholicam fidem suscipiat.

184. Binæ priores conditiones præ oculis haberi præcipue debent ab illis qui facultatibus a sede apostolica delegatis utuntur, et dispensant in matrimoniis mixtis.

Verum ob contrarias leges a Guberniis latas Ecclesia ad graviora mala vitanda toleravit ut juramentum non præstaretur a contrahentibus, tum circa secundam, tum quoad tertiam conditionem, sed sola promissio sufficeret. Ad rem facit *Instructio*

*Secretariæ Status* diei 15. Nov. 1858 ad omnes Patriarchas, Archiepiscopos etc.

185. Præter relatas conditiones requiritur etiam gravis causa, ut dispensatio concedi tuto possit.

186. Hæc matrimonia autem mixta juxta literas Pii VI. ad Archiepiscopum Mechliniensem diei 13. Julii 1783, posita etiam dispensatione celebrantur extra Ecclesiam sub quo nomine etiam sacristia comprehenditur. Parochus autem matrimonio assistens absque sacris vestibus, negative se habere debet, idest neque nuptiis benedicere potest, neque ullam recitare orationem. Quod si celebretur matrimonium mixtum absque dispensatione, Parochus rigore juris teneretur abstinere sese etiam a passiva assistentia præstanda. Verum ob majora mala quæ timeri possunt ex parte Gubernii laici, concessum est Parochis, ut passive ac veluti invitati istis matrimoniis assistant, quando ex lege status civilis cogantur adstare. Conferri possunt *Epistola Pii VI. a. 1783. Instructio S. Univers. Inquisitionis* et plures responsiones ejusdem, præsertim resolutio diei 20. Dec. 1838.

## TITULUS II.

### De desponsatione impuberum.

1. Impuberes in jure dicuntur qui nondum in ætate constituti sunt in qua præsumuntur habere potentiam ad proles generationem. Aetas autem hæc pro masculis est annus 14 completus, pro fœminis vero annus 12 pariter completus.

Præsens titulus complectitur tum sponsalia, tum matrimonia impuberum. Primo loco agemus:

#### De sponsalibus impuberum.

2. Quænam ætas requiritur ad contrahenda sponsalia de futuro? Sponsalia possunt contrahi post completum septennium. Quia ad ea contrahenda requiritur sufficiens usus rationis, qui non præsumitur haberi ante septennium. Cf. capp. 4. 5. et 13. h. t.

3. Hinc parentes possunt utique pro filiis ante septennium sponsalia contrahere, sed ut ea juridicum valorem habeant, necessaria est ratihabitio filiorum, quam præstare possunt, cum usum rationis adepti sunt, cap. un. h. t. in VI. Filii hanc ratihabitionem præstare tenentur ex debito honestatis et reverentiæ erga parentes